



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Commentarius In Regulas Juris Pontificii, Qvæ In Libro Qvinto, Et
Sexto Decretalium Continentvr

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1659

Regvla XXXV. Plus semper in se continet, quod est minus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61853)

REGVLA XXXV.

Plus semper in se continet, quod est minus.

I. Conformis est Regulæ 80. *infra, § 113.* Intoto pars continetur, ex quibus tertiam regulam educit *Causus. Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus.* 33. *infra:* quæ non caret exceptionibus. Præsentis verò Regulæ facilis explicatio est, si cum *Cardm. Tufcho* apud *Barbosam* restringatur ad totum integræ, & quantitativum: in his enim semper, quod plus est, in se, quod minus est, continet: ac proinde nulla requiritur hæc juris interpretatio, sed naturæ principiiis fulta Regula subsistit.

Exempla *Glosse* sunt I. *ex c. Si quis dederit 24. q. 1.* ubi orta controversia, quæ poenitentia imponenda esset, cum alii 5. annorum, alii 7. alii 10. nominassent, *Iulius Pontifex* quinque annorum poenitentiam approbavit: quia hæc numerus continetur in illo, quem omnes posuerant.

2. *Ex l. Diem. tit. de arbitris.* Si ex tribus arbitris unus quindecim, alius decem, tertius quinque condemnet, quinque deberi *Iulianus* scribit, quod in hanc summam omnes consentiunt.

3. *ex Instit. de servit. §. Actus.* Qui actum habet, hoc est, jus ducendi jumentum, aut vehiculum, etiam iter habet, sed non è contra. 4. addit *Dynus.* Si absolutus sum à petitione universalis, ut hæreditatis petitione, à partibus quoque absolutus videor. & qui à rerum singularum petitione remove-

tur, ab earum universitate removetur. *l. Iulianus. tit. de exceptione rei indicata.*

II. Ex quibus liquet, Regulam extendi, & obtinere 1. in iudiciis, ferendâ sententia, & statuenda pœna. 2. In arbitriis. 3. indebitis. 4. in hæreditatibus. Nam qui bonorum suorum quartam partem volens mihi relinquere, scribit semissem, aut dimidium, quarta mihi obveniet. Insuper ampliari potest, ut valeat in tellificationibus. Dicat unus testis, se fundum possedis- se 30. annis, alter annis 10. possedis- se, de decem annis probata possessio est. *V. Gaill. de pignorationib. obs. 18. n. 10.* Simili modo, si unum instrumentum dicat de pluri, alterum de minori, huic fides debetur, *l. Sempronius. tit. de leg.*

Addit *Peckius*, interdum valere Regulam, quamvis requisitæ conditiones desint: v. gr. Servo decreta libertas est, si 10. aureos dederit. Ille per errorem dat 20. quemadmodum *l. 1. Reg. c. 18.* David pro 100. petitis præputiis du- centa obtulit, non dubium est, liber- tate donari, cum in majori non petita summâ contineatur minor, quæ petita erat. *l. 3. §. Si plus. tit. de statu liberis.*

Objic. I. Si Pontifex mandavit *Ti- tio* dari præbendam integram, & magni valoris, puta, 500 aureorum, non poteris etiam volenti, & præoptanti minore conferre, quamvis in majori hanc contineri certum sit.

P

R. Om.

R. Omnia rescripta PP. stricti juris sunt, & respuunt interpretationem, quemadmodum in *Proleg. §. 10.* diximus. Ideò non valet alterius beneficii collatio, quia extra voluntatem concedentis est, qui personæ dignitati provisum desiderat: quod in minori beneficio non fiet.

Obj. 2. In hæreditate partes contineri n. r. supponitur, nec obscurum est; hæredi tamen non licet unam alteramve partem duntaxat adire, sed totam, quanta est, hæreditatem capere debet, vel penitus abstinere l. 2. tit. de *acquir. vel omitten. hæreditate*: imò nec filius hæres institutus legitimam retinere potest, & residuum hæreditatis repudiare. Cynus in l. *Hæres instituta. C. de impuberum subst. quem Baldus, & Casirio* sequuntur.

R. Regula Juris Civ. 7. est. *Ius nostrum non patitur, eundem in paganis & testato & intestato decepsisse, earumque rerum naturaliter in se pugna est, ut testatus, & intestatus quis sit.* Hinc manifestè liquet, repugnare leges, ut testamentum, & hæreditas dividatur: adeoq; cessat Regulæ nostræ dispositio de minore, quod contineatur in majore, seu tota. V. Decium in *Reg. cit. Ius nostrum.*

Eadem responsio aliis quoque objectionibus applicanda est. Univeris enim quando jus aliquod in particulari resistit: vel quando dispar ratio inter-

venit, à communi placito receditur. V. *Canis. & Barb. in Comment.*

Obj. 3. In l. *Gracè. §. Illud. tit. de fideiuss.* Vlpianus dicit, commune esse in universis, qui pro aliis obligantur, si fuerint in duriolem causam adhibiti, eos omninò non obligari: In leviori planè causam accipi posse.

R. Obscuritatem in hac lege imaginatur *Peckius*, eamque auget plurimum DD. interpretationibus, sine causa. Etenim *Glossa* expositio plana & facilis est, non obligari fideiussores ultra æquitatem, ubi causa durior, vel deterior est. Tu promisisti mihi centum, & das fideiussorem pro ducetis, ad hanc summam non tenetur. Si autem promisisti mihi centum, tunc potest dare fideiussorem pro quinquaginta. Ecce quam benè conveniat cum Regula nostra, quod eam obscurare, vel etiam evertere putabatur.

Obj. 4. Ex mente *Papiniani* irrita stipulatio est sic facta. Hanc summam centum aureorum, quæ est in mensa, dare spondes? Si in mensa non sint centum aurei, sed pauciores. l. *Si ita stipulatus fuero. tit. de verb. oblig.*

R. Stipulatio non excedit mentem contrahentium: proinde inanis est promissio, cui non respondet quantitas rei promissæ. Neque enim in 80. vel 90. sed 100. aureos convenerant. *Meinoch. de arbitr. casu 213. n. 30.*

REGULA XXXVI.

Pro possessore habetur, qui dolo desit possidere.

- I. Eodem sensu *Reg. l. C. 173. Qui dolo desit possidere, damnatur,* quia pro possessione doli est. Et 192. *Parrem esse conditionem oportet ejus, qui* quid